



Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

Miscellaneorum

DECADIS I.

EXERCITATIO I.

De

TEMPORIS NATVRA ET CONSTITVTIONE

PHYSICA ET METAPHYSICA

Disputationis loco ad sententiarum collationem in Gymnasio Gedanensi Proposita

Præside

HENRICO NICOLAI

Phi. Ma. & ejusdem Professore Ordinario

Respondentis vices occupante


JOHANNE GEORGII

Dantiscano Borusso.

Ad diem 2. Aprilis. S. N.

In Auditorio Philosophico

Horis ab 7. matutinis.



Gedani. Typographo GEORGIO RHETIO exscripta. ANNO 1636.

I.

IN tempore *sumus*, & *nec quid temporis natura sit, satis scimus, quod jam suo tempore querendi suppeditavit argumentum* B. Patri Augustino l: 11. confess: c. 14. *nec quod tempus requirit, semper occupamus.* Tempus ipsum *satis non novimus, quòd latens & abstrusa ejus indoles quærentem fugiat, & anxium sub mole eludat. Quod* Ægyptii *Hieroglyphicis suis, ut solent, velatè adumbraturi serpentem pinxerunt, caudam sub guttur attractam occulentem:* per spiras *in se reflexas dierum annorumq́; volubiles consecutiones notantes*; per caudam *abstrusam latentem temporis naturam: ut ex* Cyrillo *narrant* Conimbric. in 4. Phys. c. 14. a. 2. q: 1. Nec quæ temporis sunt, *semper occupamus. Sed pars magna spatij ad vivendum concessi nihil, malè, vel aliud agendo transigitur, ac quod in nostris vix minimo possumus, in alienis sæpè vel pugno occupare præsumimus. Demum, ubi quod tempus ire non sensimus, fluxisse intelligimus, furore in naturam effuso accusare incipimus providam parentem, quod in exiguum ævi nos protruserit: quòd brutis plantisq́; benigniorem vivacitatem prodegerit: nostrûm plerosq́; vivere inchoantes in ipso apparatu vitâ mersos destituat. Quam questus intemperiem* morali Philosopho *coërcendam relinquentes, jam* Physicè *post* Logica *cursu suo absoluta temporis naturam distinctè plenèq́; ad disceptandum cum Deo proponemus, ne in tempore velut sine tempore vixisse, vel ejus, cujus unius honesta est avaritia, prodigam omninò rationem tenuisse videamur: aut ex vivorum numero exire voluisse, antequam obe-*

amus, censeamur, cum esse mortuum, quàm vivere, *potius sit eligendum, cum* Cur. Dentato ap. Senec: d. træ: an: c.3.

2. *Temporis consideratio* vel *præcognitionis sit*, vel *cognitionis*. Præcognitio *habeat*, an *detur ens illud, quod tempus vocamus?* Vbi *detur?* & quot modis *consideretur?*

3. Quà primum, *dari tempus patet argumento* & artificiali *à temporis* definitione *sumpto: datur* ens illud, *quod dicitur numerus numeratus ex priori & posteriori. E. & datur tempus. Nam tempus nihil aliud est, quam talis numerus per* th. 11. *Sic bona est illatio: Datur animal illud in naturâ, quod brutum quadrupes rugiens dicimus. E. & datur Leo. Nam leo nihil aliud est, quam tale animal: itemq;* à partibus *temporis sumpto: dantur omnes partes temporis, præteritum, præsens, & futurum: E. & totum, quod inde exsurgit, datur, quod est ipsum tempus. Et* inartificiali, *à testimonio Philosophorum & omnium hominum communissimo, quorum pleriq; omnes temporis differentias passim in ore habent*, tàm *essentiales, ut præteritum, præsens, futurum, & illis respondentes, hesternum, hodiernum, crastinum*: quàm *accidentales, ut matutinum, meridianum, vespertinum, diurnum, nocturnum, lucanum, antelucanum, & similia. Sunt* rationes *speciem habentes, quibus tempus omninò non esse probari videatur, quas enarrat* Aristot. 4. Phys. c. 10. t. 88. 89. *Et deducũt* Conimbric. & Morisan: inh. l. *Velut*, quòd *partes temporis non sint: non præteritũ, quod fluxit; non præsens, quod fluit, non futurum, quod erit:* Quòd *præsens s. momentũ, quod vera temporis pars videtur*, vel *sit unũ in tempore, sic non posset omnes temporis partes copulare, quæ simul non sunt, sed successivè fluunt*: vel *multiplex, sic unum immediatè succederet alteri, sic tempus nihil aliud esset, quam multitudo instantium sibi succedentium. His rationibus in discursu per occasionem ampliùs occurretur. Hic notetur, tempus esse ens* successivum, transiens & fluens, *cujus*

jus partes in fluere & fieri consistunt: non fixum & permanens, *cujus partes fixè simul omnes coëxistant. Ita non mirum, temporis partes non immotè consistere, sed perpetuò per partes motus decursu commutatas defluere. In tali enim fluxu entium transeũtium natura consistit, quæ per partes continuè sibi succedentes existunt, Quod succedere* si per instantia existere *quis dicat, commodè intellectâ phrasi facilè tolerabitur, ut per instantia ens transiens existat, non ut sic & indivisibilia sunt, sed ut vincula sunt, media & gluten, quorũ virtute pars una in isto fluxu succedens alteri ad decurrendum conjungitur, & sic tale ens in instantibus cum extremis fluxu coniunctis & aggregatis verè esse & existere dicitur. Sic actiones aggregatæ ex pluribus sibi succedentibus actibus in isto actuum successu totaliter consistunt, ut Chorea, saltatio, concio, oratio, decertatio, non vel in principio præcisè, vel fine aut medio solitariè spectatis. Conf. Dn.* Scheibl. l. 1. Meta. c. 19. n. 19. 20.

4. Quà secundum, *Vbinam detur tempus, an in re, an ratione? an sit ens reale, an rationis? Datur* in re, *Nam esse suum præter esse obiectivum in solo intellectu, in reali motus succedentis fluxu numerato vel etiam numerabili, obtinet, sive de illo motu quis cogitet, sive minus. Duratio enim successiva motus ex priori & posteriori numerata est realis quidam fluxus numeratus, qui suum esse in istâ successione præter esse intellectibile obtinet. At in eo Entis realis natura consistit, quod habeat peculiare esse præter esse obiectivum in intellectu, ut Metaphysici docent.* Dices I. si *est numerus, E. non est nisi in ratione numerante. Numerus enim non est, nisi in numerante. At sic erit ens rationis. R. Tempus non est numerus numerans, sed numeratus, concretus, & in re numeratâ.* V. t. 11. 12. *At talis numerus fundamentaliter in re est, ut multitudo in rebus multiplicatis. Sic denarius est multitudo & quantitas discreta in 10. equis, sive tu eam ibi esse cogites, s. minus.* Nec si esset

 nume-

numerus numerans tempus, esset statim ens rationis, quòd in ratione. Nam & actus reales *rationis sunt in ratione, ut speculatio, cogitatio, illatio, compositio, divisio, qui tamen non entia rationis, sed realia, sunt enim veræ actiones prædicamentales immanentes. Omnes* habitus mentis *sunt in ratione, ut scientia, prudentia, ars: nec tamen entia rationis. Quod ita est in ratione, ut* præter obiectivum cogitari in ratione nullum aliud esse præterea habeat, *id demum est ens rationis. Vt Syllogismus, anaphora, genus, species, Chymæra, Cerberus, &c.* V. Scheib: c. l. c. 27. n. 35. Cl. J. Mart: l. 2. part. Met. c. 15. n. 11. q: 5. Alstedio *ens rationis comparativè dicitur* l. 5. Enc. p. 1. Met. c. 31. *Vulgò obiectivè vocant.*

5. 2. Nemine *numerante fluxum in motu non erit tempus. E. tempus ab solâ operatione intellectus dependet, & sic erit ens rationis. R. Nemine numerante fluxum non erit tempus scilicet completivè & totaliter, nam sic complementum tempus habet ab intellectu numerante,* V. t. 12. *benè tamen inchoativè, fundamentaliter & partialiter: erit enim iste fluxus continuatus in motu sine tuâ numeratione. Et Numerabilitas erit in successione motus & ipsâ re ante intellectum, hæc fundamentum in tempore est: numeratio erit ab intellectu, & complementum. Illa realis in re est : hæc in ratione, extrema quædam denominatio rei superposita, quæ nondum merum ens rationis facit.* Co. Ruvium in 4. Phys. tr. 1. d. temp: q: 1. n. 24. 25. *Nam quod verè hoc est, nec inchoativè nec completivè aliud esse habere debet, quàm à ratione. Non ita tempus & numerabilitas temporis. Et* verba in definitionibus magis potentiam notare debent, quàm actum, *ut Logici dicunt. Et sic etiam vox numeri in def. temporis, i. e. numerabilitas. At hæc in ipsâ re per successionem fluente ante omnem cogitationem intellectus est, Ipsa cogitatione numerante accedente non demum totum suum esse inde sortitur, & sic merum*

ens

ens rationis facere non potest. 3. Si tempus est *reale, E. erit in aliquo prædicamento. At in nullo est, nam maximè in quantitate esset, ut quantitas discreta & numerus. At omnis numerus est ens aggregatum: Sed entia aggregata excluduntur à prædicamentis, ut Logici volunt, & sic etiam tempus. Sicq; erit magis ens rationis, quàm reale.* R. entia aggregata, *vaga, fluxa, incerta & in unam naturam non conspirantia, quæ velut respondeat uni per se, excluduntur à prædicamentis, ut acervus lapidum, atomorum, granorum, avenæ, &c. Sed certa, determinata, in unam naturam convenientia, & ordine constantia reducuntur ad prædicamenta. Sic respublica, exercitus, ad relationem: habitus disciplinarum & facultatum ad qualitatem: partes animalium, plantarum, ad substantiam. Sic & numerus, & per eum tempus, ad quantitatem discretam pertineret, quà concipiuntur, ut unum quid per aggregationem plurium subordinationem ad se habentium constitutum. Conf.* Dn. Schei. 2. Met. c. 7. n. 75. 4. Si tempus *ens reale, E. erit corruptibile. Non enim unum idemq; perpetuò permanet. Si est corruptibile, corrumpetur in alio tempore, & hoc iterum in alio, & sic in infinitum, quod absurdum. R. Accuratè loquendo substantiæ compositæ sunt corruptibiles & generabiles, impropriè accidentia, & sic tempus. Propriè* esse desinit *& incipit, non corrumpitur aut generatur. Unde nec in alio tempore semper desinit, sed per simplicem cessationem in ultimo suo nunc & instanti desinere potest, & sic processus in infinitum non est metuendus. Ita Aristotelem* c. 10. l. 4: Phy: *respondere author est* Morisanus in h. l. *Apud quem tamen nihil horum invenio.*

6. Quà tertium, *Ubi consideretur?* Timplerus l. 2. apsych: c. 9. q: 1. *ad Astronomian pertinere vult.* Ramistæ *propriam ejus considerationem in* Logicâ *esse aiunt, quòd sit adiunctum rerum & circumstantia rei extrinseca, At Logicam de adiun-*

cto

cto & circumstantibus docere. Quòd *sit duratio rebus conveniens; & sic Logicè concipiatur:* Quòd *omnibus omninò rebus competat, At Logicam generalissima docere:* Quòd *pro subiectis, quibus tribuitur, in æternum & creatum dividatur. At locum subiectorum Logici fori esse.* Ramus l. 4. Sch. Phy. c. 11. Dunam. l. 1. in Lo. Ram. c. 11. p. 206. Cragius con. Liebler l. 4. c. 11. Snellius Dialog. Log. in l. 1. c. 11. Vrsinus l. 1. com. Log. Ram. c. 11. dis. 2. Tempel. l. 2 Log. Ram. c. 11. Rhodingus in Log. Rami, Petrus Martinius in l. c. Rami, Beurhusius collat: l. 1. c. 11. *Aliiq. Falsò. Affectio* corporis naturalis, *quà naturale est, & ens reale, est naturali scientiæ relinquendum. Ea enim naturam ejus, causas, effecta, proprietates, plenè enumerare debet. Tempus est talis affectio, quod concedunt* Ramistæ, *quando omnium rerum affectionem illud vocant, & in æternum & creatum dividunt, illud Deo, hoc creaturis tribuentes. Et facilè patet: Trahit enim ortum ex naturâ: naturam sequitur: & per naturam rebus creatis corporeis circumfunditur. E. Physicæ relinquendum, non Logicæ, quæ nullum ens reale tractat, sed mera entia rationis, & noëmata secunda, bonæ ratiocinationi inservientia, ut alibi ostensum est.* Ramistarum rationibus *facilè occurritur.* 1. Omnia *accidentia sunt adiuncta, nec tamen omnia realiter in Logicis explicantur. Sic colores, odores, soni, tangores, vestes, arma, supellectiles, motus, actiones, passiones, Quæ omnia omittunt realiter tradita in Logicis ipsi Ramistæ, & omittenda esse per se patet, ni immensum chaos ex Logicâ conficias.* 2. Si *omnes circumstantiæ in Logicis explicandæ, E. & vestes, arma, ornamenta, satellites, milites, dolia, vasa, aër, & similia in Log. explicanda, nam circumstant, quod insulsissimum.* 3. Falsum, *tempus esse durationem: est propriè numerus, & mensura cujusdam durationis.* V. t. 12. *Et si omnia, quæ Logicè concipiuntur, ad Logicam pertinent, omnes notiones*

nes primæ ad Logicam pertinebunt, Logicè n. de illis aliquid concipitur, & intellectus intelligendo fit omnia. 3. d. anim. c. 7. t. 36. 37. Scalig. ex 307. f. 6. *Si ratio Logicè tempus concipit ut durationem, falsò concipit, & facit ex tempore non tempus.* 4. falsum, *quod omnibus rebus competat, non immaterialibus, non Deo, non Angelis competit,* V. t. 36. *Nec si omnibus* competeret, *statim Logici fori esset. Ens, Esse, Existere, Vnum, Verum, bonum, ordo, perfectum, absolutum, respectivum, necessarium & contingens, corruptibile & incorruptibile, omnibus communia, nec tamen in Logicis ne ab ipsis Ramistis explicantur. Logica generalissima docet, sed* in notionibus secundis ratiocinandi*: non realibus attributis, inter quæ tempus.* 5. Falsum, *in æternum & temporarium dividi debere. In æternitate tempus nullum est.* V. t. 36. *Et tempus creatum melius dicetur Physicum, nam & aliæ res creatæ sunt, quibus tempus Physicum non competit, ut angelus, anima separata. Si omninò vera sit divisio, non statim tempus ad Logicam pertinebit. Ens dividitur in æternum & temporarium, creatum & increatum: an ob id ens ad Logicam referes reali considerandi modo?*

7. *Potest aliàs* variè *considerari tempus, & sic ad varias disciplinas referri. Consideratur,* ut aliquid *rebus creatis in primâ creatione à Deo concreatum, & sic cum creatis principium habens: & ut destructis creaturis iterum à Deo destruendum, & sic desiturum, Ita ad Theologiam spectabit:* Ut *species quædam durationis in ente materiali & mobili, sic Metaphysicæ speculationis est:* ut *affectio omnes res naturales insequens, easq; circumstans, sic Physici est, & naturalis Philosophi:* Ut *variis circumvolutionibus & motibus mensuratur, sic vel Astronomi est, quà ad cœli revolutionem conformatur; & huc pertinet* Timplerus *cum suis rationibus* l. c. q: 1. *vel mæchanici, quà ad artificiosos motus, ut clepsydrarum, clepsammiorum,*

rum, horologiorum, authomatum, umbrarum, gnomonum, sonorum, &c. mensuratur: Ut *specialibus hominum divisionibus, terminis, æris, epochis, determinatur & subiacet, sic ad Chronologum spectat*: Ut *gesta & acta præterita continet, repræsentat, & exponit, Ita ad annalium & historiarum scriptores pertinet*: Ut *notionibus Logicis subjici potest, vel thematicæ explicationis, vel probabilis argumentationis, ita ad Logicam pertinet, ut prædicamentum quantitatis, ubi tempus, quia quantum per accidens ob motum, qui quantus: quando, ubi denominatio rei durantis à tempore ponitur: Locum topicum adjunctorum, circumstantium, connexorum, &c.* Ut *certis crisibus morborum inservit, & signa incrementi, decrementi, aut status in morbis ostendit, Ita Medico observatur*: Ut *umbrarum Magisterium gubernat, Ita ab Optico curatur*: Ut *maturitatem, pretium, utilitatem rebus conciliat, Ita Architectoni, Mercatori, Oeconomo, & similibus observari potest, & quæ alia considerandi momenta esse possunt. Nobis* Physica *temporis tractatio cumprimis destinata erit.*

8. *Adhuc* præcognitio *temporis*. Cognitio *est vel* nominalis *vel* realis. Nominalis *1. in* homonymiâ. *Tempus notat* 1. Metonymicè *acta existentia & viventia in tempore. Sic tempus aureum sub Saturno, ferreum sub Marte Poëtæ dicunt, pro statu tranquillo, turbato & bellicoso. Sic tempora felicia, adversa, media dicimus. Sic* Ephes. 5. v. 16. *malum tempus esse dicitur. Conf.* Psal. 10. v. 1. Job. 6. v. 17. c. 32. v. 7. Dan. 12. v. 1. *Huc pertinet, cum Poëta tempus aureum dicitur, in quo omnia auro acquirere licet. Vt: Aurea nunc verè sunt secula, plurimus auro Venit honos, auro conciliatur amor. Sic* Cicero, *O mores! ô tempora! pro miseriis temporum dixit.* 2. Constitutionem aëris, *sic dicimus tempus serenum, nubilum, tempestuosum. Sic spurca aëris temperies dicitur.* 3. authoritatem & potentiam. Cic. in Bruto §. 242.

Is

Is omnibus exemplo sit, quantum in hac urbe polleat multorum obœdire tempori, multorum honori vel periculo servire. 4. Occasionem *temporis. Sic dicitur, tempore qui sapit, ille sapit. In tempore venire omnium rerum est primum. Sic* Eccles. 3. v.2. *dicitur esse tempus saltandi, bibendi, dormiendi, &c. Sic Phocylides iubet* τῷ καίρῳ δουλεύειν *tempori servire, quod* Rom. 12.v.12. *repetitur. Conf.* Job. 24. v.1. *Hinc adverbium tempori & temporiùs, pro tempestivè & in occasione. Sic Ouid.* 1. d. rem: amor:

Temporibus medicina valet, data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

5. Commodum *temporarium. Sic* Cic. pro Cluent. §. 139. *Orationes temporum & causarum, non hominum ipsorum aut patronorum dixit.* 6. *Necessitatem rei.* Cic. pro Plancio §. 79. *Ego id ponderibus meis examinabo, non solum quid cuiq; debeam, sed & quid à me cujusq; tempus poscat.* 7. *Constitutum terminum.* Terent. Andr. a. 4. sc. 1. *post ubi tempus promissa jam perfici, tùm necessariò se aperiunt & timent. Conf.* Rom. 13. v. 11. Apoc. 10. v.6. c. 6. v. 11. Job. 22. v. 16. 8. *præterlapsum ævum.* Cic. in Bru. §. 27. *Opinio est, & Pisistratum, & Solonem, & Clisthenem, multum, ut temporibus illis, valuisse dicendo.* §. 73. *Ille me inflammavit studio illustrium hominum ætates & tempora persequendi.* 9. *Partem superiorem lateralem capitis, tempus & tempora dictam, quod in ea anni ætatis fermè cognoscantur.* Virgil. 5. Æn. *Temporibus geminis canebat sparsa senectus.* 10. *Tædium temporis. Sic tempus fallere dicimus, cum tædium ejus frangere volumus.* 11. *Moram & diuturnitatem temporis.* Curt. l.6. c.3. *In novo & precario imperio tempore, milites, opus est, dum mitioribus ingeniis imbuantur Barbari.* Ovid. l. 4. d. trist: eleg: 6.

Tempore ruricolæ patiens fit taurus aratri,
Præbet & incurvo colla premenda jugo.

12. *quamvis durationem, & Deo, & angelis, & materiatis competentem.* *Sic* Ramistæ & Philologi *sumunt.* *Sic* Cicero 1. de nat. deor. §. 21. *Fuit quædam ab infinito tempore æternitas, quam nulla temporum circumscriptio metiebatur.* *Interdum & illam durationem, quæ creatis competit, & æternitati Dei contradistinguitur.* *Sic & ævum angelicum includit, & tempus Metaphysicum vocatur.* 13. *moram Syllabæ pronuntiandæ.* *Sic accentus tempus suum habere dicitur.* 14. *In Musicis notat moram soni trahendi vel decurtandi, quod tempus rythmicum vocant, & in simplex & compositum dividunt.* Capell. l. 9. p. 387. 15. *In sacris determinatum quandoq; temporis spatium notat.* *Sic tempus, tempora, & dimidium temporis.* Dan. 12. v. 7. Apoc. 12. v. 14. 16. *tractum motus successivè fluentem in naturalibus.* *Sic hic sumitur.* *Sic* Gen. 5. v. 5. 8. *Ita* vel *Synechdochicè pro parte istius fluxus sumitur: Sic dicimus præsens non esse tempus, sed initium temporis:* *Sic* Gen. 1. v. 14. *Stellas tempora dare debere dicitur i. e. dies, noctes, æstatem, hyemem, & partes illas ac divisiones temporis:* Vel *completè & totaliter pro toto fluxu ex præsenti, præterito & futuro aggregato:* *Sic bonam partem hic sumetur.* *Non omisso tamen etiam partium quandoq; significato.* V. t. 29.

9. 2. *In* Etymologiâ. *Hæc* vel Logica, *quæ vocis temporis nulla, abstractè enim in Physicis & prout hic à nobis tractatur, sumitur, pro ipsâ temporalitate, s. fluxu & fluentiâ in motu materialium rerum numeratâ:* Vel Grammatica, *quæ à* τέμνειν *deducitur, q. temnum, quod tempus secet velut fluxum motus in præsens, præteritum, & futurum, unde* ἀριθμὸς τῆς κινήσεως *dicitur Aristoteli, vel quia* τεμεὶς πόρος, *sectus transitus.* *Vnde Rabbinis* צְדָעִים, *tempora, à* צָדַע, *findere, & Germanicum* Zeit *ductum videtur.* *Et Græcum* Καιρὸς *à* Κείρω, *findo:* *Quibusdam* à tepeo *dictum putatur, quod calo-*

re:

re, humore, frigore tepescat & temperetur. Quibusdam ἄχρος, *tunc, quod sit velut continuatio ipsius tunc & nunc, i. e. præsentium.* Vel Historica, *quâ quæratur, quis primus inter Latinos hujus vocis author? Hoc ignotum puto, & ægrè inveniendum.* 3. In Synonymiâ. *Dicitur etiam tempus temporalitas, tempestas.* Plaut. Truc. a. 2. s. 4. *Tempestas memini cum quondam fuit, Cum inter nos sorderemus unus alteri. Temperies; duratio temporalis, ævum materiale. In sacris hora,* Joh. 5. v. 25. 28. dies, Job. 7. v. 1. 7. c. 9. v. 25. Ezech. 38. v. 17. *annus,* Job. 10. v. 5. *Antiquitùs olim & Timpus, sed barbarè, ut notat* Despauterius in Orthogr. *Quomodo & sico, præsico, exsico, lucisçit, augiscit, incurviscit, pro seco, præseco, &c. dicebant, observante* Popmâ l. 1. d. vs. an. loc. c. 1. *Philologis & dies, unde diem satis laxam alicui statuere, pro satis prolixum tempus concedere dicitur.* v. Gocl. l. 2. pro. Gra. q. 63. *sæculum* Cic. in Brut. §. 39. *Pisistratus & Solon, ut Atheniensium secula numerantur, adolescentes videri debent. Poëticè* Κρόνος, *Saturnus, quòd antiquissimus sit Deorum, & velut annis saturetur. Græcis* Κρόνος, χρόνος, Καίρος, ὥρα: *Hebræis* עֵת, *unde* עַתָּא, *nunc, quod tempus sit nunc & tunc fluens,* זְמָן, *determinatum tempus, Rabbinis* צִרְעִים, *ut ante dictum. Poëticè & periphrasticè anni demẽsor, magnus seclorũ ordo, &c.*

10. *Fuit* Nominalis *cognitio:* Realis *erit definitiva, divisiva, causativa, & affectiva.*

11. Definitio *sit: Tempus est numerus motus discretè numeratus secundum prius & posterius.* Arist. 4. Phy. c. 12. t. 108. 110. l. 8. c. 1. t. 10. l. 1. d. cœl. c. 9. t. 99.

12. *Dicitur* 1. Numerus discretè numeratus. Numerus *est multitudo ex unitatibus conflata. Estq́ue* vel abstractus, *formalis, numerans, qui est ipsa multitudo, quâ numeramus:* vel concretus, *materialis & numeratus, qui est ipsa res multiplicata & numerata. Tempus dicitur* 1. numerus

 nume-

numeratus, *h. e. mensura aliqua, quâ durationem & continuationem ipsius motus cœlestis metimur, adeoq́; determinatio aliqua, quâ partes motus numeratas distinguimus, illasq́; distinctis per priores & posteriores tempus habere dicimus. Ita enim* ex respectu mensuræ, *quo animus humanus vel angelicus motus fluxum metitur vel metiri potest, tempus hic definitur, unde* Aristot: *ipse, quod numerum vocârat, post mensuram vocat.* c. l. t. 114. Absolutè *tempus successiva duratio motus per fluxum prioris & posterioris, vel continuatio ipsius Nunc s. instantium in motu dici possit: Sed cum* id absolutum esse *nondum satis Physici temporis, de quo hic agitur, naturam explicet, sed præterea distinctio aliqua istius durationis addenda fuit, maluit* Aristot: *dicere esse mensuram vel numerum istius durationis motivæ numeratum, quàm absolutè durationem fluentem, vel continuationem instantium.*

13. 2. *Numerus numeratus* & virtualiter & actualiter *sumi potest.* Virtualiter, *i. e. numerus numerabilis, qui in motus fluxu secundum prius & posterius numerari potest, & hoc in definitione temporis* principaliter *est intelligendum, prout* t. 5. *dictum, verba definitionum primò de potentiis intelligenda esse.* Actualiter, *i. e. numerus actu ab intellectu humano vel angelico numeratus in successivo fluxus motu, & hoc* consequenter *in definitionibus est admittendum. Hoc modo verbum actus, Num: numeratus, in definitione temporis adhibetur, non quòd rigidè & semper actus sit in definitione intelligẽdus, sed quod sit manifestior potentiâ, quæ per istum se exerit & ostendit, & in definitione connotetur. Definitio aut fieri debet per manifestiora, per* 6. Top. c. 4. *Ita rectè corvum definias avem crocitantem, non quod primò actus crocitandi semper hic intelligendus, cum potentia primariò intelligatur: sed quod iste manifestior & in definitione includendus, etsi non totum definitionis sensum exhauriat.* Idem *de definitione temporis habendum*

bendum. *Intelligitur & numerus potentialis, qui numerabilis saltem est, & numerari potest:* & actualis, *qui actu ab animo creato numeratur. Inde fit, ut sæpè, ubi actu numeratum istum motus fluxum non advertimus, nec tempus fluxisse intelligamus. Vt in ebriosis, dormientibus, solet contingere. Sic Heroës, 9. Herculis liberi, cum in Sardiniam venissent, ibiq́ obdormiissent, post à somni excitati, præteritum tempus cum sequenti, quo vigilare inceperant, immediatè coniunxerunt, quasi nihil temporis medij effluxisset, quod motum interea non numeravissent, ap.* Strabon. l. 5. Geogr: & Aristot: c. l. c. 11. t. 97. *Hoc modo ad numerationem respiciendo rectè dicitur, inchoationem tempus habere ab re & naturâ, completionem ab ratione & intellectu numerante. Vnde tamen nondum verum Ens rationis constituitur.* V. t. 5.

14. *Dicitur* 2. Numerus discretè numeratus. *Motus in tempore est continuus, & continuâ successione incessanter fluens, hactenus in tempore non est discretio, sed continuatio: Sed* respectu nostræ rationis *& conceptus, quod continuè sibi succedit, nos in partes discernimus, quarum unam prius, alterum posterius vocamus, quas medio quodam intercedente, ut glutine connexas intelligimus, quod instans s. nunc & momentum vocamus. Hactenus in tempore datur unum post aliud discretè ab intellectu numeratum, & sic numerus discretè numeratus dicitur. Sic si in tabulâ continuè cohærente, quarum una pars sit alba, altera nigra, discernamus intellectu duas partes, discretionem in continuo & sic numerum faciemus per intellectum. Sic in ligno continuo, cuius una pars viridis, altera putrida, binas partes & discretionem consideramus. Sic in veste partem albam & nigram discernimus, etsi inter se continuentur. Hinc* numerum concretum duplicem *faciunt*, unum *re ipsâ & in se discretum, ut duo equi, tres homines:* alterum *in ratione nostrâ & intellectu, ut in baculo pars alba & nigra*

nigra. Tempus est discretum in ratione, & si in motu sit continuum in re. Alij continuum quantitativè, discretum qualitativè votant, Tolet. in 4. Phys. q: 12. Perer. l. 12. Phil. c. 2. Ruvius c. l. q: 2. n. 36.

15. *Dicitur* 3. Motus. *Tempus nec est ipse præcisè motus, nec sine omni motu: sed aliquid in & cum motu, mensura nempe vel numerus in motionis fluxu observatus.* Motum *esse oportet, nam sine eo tempus intelligi nequit. Sic enim motus & tempus cohærent, ut, cum animo fluxum motus per prius & posterius enumeravimus & distinximus, etiam temporis essentiam descriptam habere credamus. Enumeramus autem tùm, cum aliquid tanquam prius, aliquid posterius, & aliquid medium isto fluxu observamus, vel saltem per possibile illud observare in isto fluxu possumus. Cum duo ista extrema à medio diversa intelligimus, tempus esse credimus. Vbi illa cum medio ut unum intelligimus, & non prius & posterius numeramus, nec temporis rationem advertimus. Vnde cum nudam durationem damus, nondum tempus dicimus, sed illa tempore mensurari & numerari debet. Vbi certam quantitatem fluxus & successionis per prius & posterius illi assignamus, demum tempus eam esse intelligimus. Dicitur motus* 1. generaliter, *ut quæcunq; motionis rationem compræhendat, s. sit motus localis, s. latio qualiscunq; s. etiam mutatio. Vnde* Aristot. *ita generaliter motum sumit, ut quamvis mutationem compræhendat,* t. 97. 95. 133. c. l. *Sic metimur & motu locali, ut cum sol ab uno puncto cœli ad aliud devolvitur: & mutatione reali, ut cum aquam à frigore ad calorem successivè progredi animadvertimus: & notionali, ut cum discurrendo ab uno cogitato ad aliud per moram devenimus.* 2. principaliter, & consequenter: principaliter, *ut primariò motus cœli respiciatur, in quo successionem numerando tempus intelligatnus. In cœlo motus advertitur* tripliciter: 1. Primi mobilis, *quod 24. horarum*

spatio

ſpatio revolutum diem cum nocte, ſ. diem, ut vocant, artificialem ejusq́ tempus conſtituit. 2. *Solis, in cujus motu diurno diem naturalem conſtituimus, annuo annuum temporis ſpatium deſignamus.* 3. Lunæ, *in cujus decurſu menſtruum tempus numeramus. Cæteris planetarum motibus, quia non ſunt ita manifeſti vulgo, ſed artificibus tantùm noti, ordinarium tempus non numeramus. Chronologis & Aſtronomis ea tempus deſignandi ratio, ut majus artificium continens, relinquitur.* Conſequenter, *ut ſecundariò ad quemvis alium motum tempus exigamus. Sic deſcurſu clepſydrarum, clepſammiorum, motu rotarum, aut inſtrumentis motum exhibentibus tempus menſurare poſſumus. Turcæ per clamores in turribus ab Sacerdotibus excitatos temporis differentias numerare dicuntur, ut refert* Rauwolfius l. 2. itiner. c. 2. & l. 3. c. 6. *Ruri degentes cantu gallorum id faciunt.*

16. 3. Permiſſivè & oppoſitivè, *ut ſub motu & oppoſitum motus,* quietem, *intelligamus. Vt tempus ſit menſura* motus *primò & per ſe, motu enim non dato aut obſervato tempus intelligere non poſſumus:* quietis *ſecundò & per accidens, quà ex motu quies, ut privatio ejus ſubintelligitur, & quieſcentibus tantum menſuræ datur, quantum temporis conſumpſiſſent, ſi in motu fuiſſent. Ita quieſcentia intelligimus, ac ſi motum interea, dum quieſcerent, habuiſſent: & æquipollentis iſtius attributionis in motu gratiâ tempus illis asſignamus.* 4. relativè & converſivè, *Vt tempus & menſura motus intelligatur, & è converſo motus menſura temporis concedatur. Vt Ariſtot: habet* c. l. t. 112. 133. *Motus eſt menſura temporis* ex re & naturâ, *niſi enim motum advertamus, vel numeremus & determinemus, tempus agnoſcere non poſſumus: Tempus eſt menſura motus* ex ratione *& noſtrâ aſſumptione, numerum enim iſtum in fluxu motus per prius & poſterius ut menſuram ipſius motus à poſteriori aſſumpſimus. Ita menſuras quasdam*

 reci-

reciprocas habemus. Sic pondus potest esse mensura aurei ponderandi, & deinde aureus iste assumi potest ut mensura ponderis iusto libramine constituendi. Vlna mensura panni esse potest, & pannus mensuratus ad ulnam assumi potest ad longitudinem ulnæ à posteriori constituendam. Hic, quia respectu nostri tempus definitur th: 12. *rectè mensura motus dicitur primariò & ex se, motus mensura temporis secundariò & ex accidente. Primò tempore metimur motum: Secundò motu tempus.*

17. *Dicitur* 4. secundum prius & posterius. *In motu duo sunt.* 1. actus *entis in potentiâ, i. e. actus imperfectus, tendentia, & velut via ad perfectionem. Hoc in tempore non attenditur.* 2. fluxus *continuatio & successio. Hæc numerata distinctè per prius, medium, & posterius, efficit ipsum tempus. Hæc continuatio instantium continuè sibi succedentium ab intellectu discretè per principium, medium, & finem numerata est tempus.* Conf. th. 13. *Prius & posterius sumenda hic* 1. concretè, *pro partibus motus fluxu per prius & posterius succedentibus, non abstractè pro ipsis respectibus prioritatis & posterioritatis, sic enim ad Metaphysicum spectant.* 2. & principaliter, *pro ipsis partibus antecedentibus & consequentibus:* Et consequenter, *pro medio copulante istas partes, quod est instans s. momentum, finis præcedentis fluxus, & initium sequentis. Ita* prius *est, quod in motu effluxit:* instans, *quod fluit:* posterius, *quod fluxurum est.* Expressè *autem prius & posterius adducitur, quia notobiliora sunt & manifestiora: Nunc s. instans indivisibile & ferè inadvertibile est, & partibus primarijs, priori & posteriori enumeratis,* secundaria, *quæ illis tanquam copula, gluten & vinculum connectens unam alteri inservit, facile subintelligitur: Ad utramq; enim tanquam medium subordinatum referri debet. Sic determinando longitudinem itineris locum* à quo & ad quem *nominamus, non addi-*

additis intermediis, quæ ut media suis extremis subservientia subintelliguntur.

18. *Ita explicatâ* Aristotelis *definitione facilè patet, quid de* Ramistarum, Vallæ, Scaligeri, Platonicorum, Apuleii, Galeni, aliorumq; *definitionibus habendum.* Malè *tempus cum* Ramistis *&* Timpl.l. 1.Meta.c.5.q:10. *definitur* duratio creata, præsens, præterita, & futura. *Non enim duratio, sed mensura cujusdã durationis materialis & naturalis in motu Physico est. Nonnisi* exotericè, *populariter, & materialiter duratio dici potest, quomodo iustitia dicitur voluntas cuiq; suum tribuendi, cum sit habitus voluntatis: & mors vita ablata, cum sit ipsa vitæ ablatio: Et quomodo ipsum tempus motus dicebatur veteribus* ap. Aristot: c. l. t. 93. *Et ipsi Aristoteli* t. 13. *Quia est aliquid in motu, cum tamen formaliter negetur esse motus,* t. 98. *& mensura ejus dicatur* t. 101.114. Malè *etiam definitur cum* Platone *in Timæo conversio cœlestis mundi, ap.* Conimb in 4. Phys. c. 14. q: 1. a. 2. *Non enim ipsa conversio, sed mensura cujusdam conversionis à motu pendentis est tempus: vel ævi imago mobilis ap.* Apuleium l. d. dogm. Plat: p: 26. *Metaphorici enim lusus vocabulorum hi sunt, qui in definitionibus, si propria suppetunt, non ferendi, per* 6. Top. c. 2. Malè *nunc semper fluens vel continuatum, cum* Scaligero; ex: 352. s. 2. *Non enim tempus Physicum propriè est ipsum nunc, sed numerus per nunc, prius, posterius, distinctè numeratus. Inde magis appositè in Physicis per hunc respectum definitur.* V. t. 12. Malè *etiam actio, quam animo cognoscimus, & quidam cursus essendi, cum* Vallâ l. 1. Dial. c. 17. p: 109. *Non enim tempus est ipsa mensuratio vel numeratio motus, quæ est actio ab intellectu numerante profecta: sed motus mensuratus vel numeratus, unde passivè non activè numerus explicari debet, Vid:* t. c. *Nec est ipse cursus essendi, sed mensura numerando facta in cursu rei mobilis & naturalis.* Malè *etiam*

amplissima sphæra totius Universi definitur cum Architâ & Pythagorâ ap. Conimb: c. l. *Non est ipsa sphæra, sed motus, cumprimis in istâ sphærâ cœlesti secundum successionem prioris & posterioris discretè numeratus.* Malè *& quantitas in actionibus, cum* Sratone ap. Tolet. c. l. *Propriè enim mensura quantitatis in motu est.* Malè *vita animæ in motu transeunte ex unâ vitâ in aliam: Nam & lusus Metaphorici hi sunt: & tempus non est ipsa successio transiens apprœhensa ab animâ, sed mensura in successione motus Physici numerata per antecedens & consequens.* Malè *continuum successivum, punctis & partibus divisibilibus constans, cum* MendoZ. d. 15. Phy. §. 96. *In Physicis enim ut mensura continui successivi motus à nobis spectatur, non absolutè ut ipsum continuum, quod ipse motus. Tempus aliquid in motu est.* th: 13.

19. *Etsi ex dictis satis veritas definitionis Aristoteleæ pateat: Quia tamen dubia adversus eam plurima ex* Ramo, Vallâ, Scaligero, Timplero, Cragio, Becmanno, Vive, Galeno, *aliisq; moventur, & quædam non difficultate carent, oportet & ea breviter solvendo disjicere, ut veritas evadat immobilior, & sensus definitionis manifestior.* Becman. l. 1. comp. Log: c. 7. d. 2. q: 3. *adeò eam obscuram ait, ut illum aliquot secula non sufficienter explicare potuerint.* Valla c. l. *nũ: numeratum dicere Aristotelicæ confidentiæ ait.* Dunamus *tempus Logicum hic non definiri dicit,* c. l. *Videamus, quid præstent, & rationes anti Aristotelæorum ferant.* Dices 1. Tempus *est quid absolutum: sed mensura & numerus quid respectivum. At absolutum malè per respectivum definitur, nam definitiones debent fieri per homogenea, non heterogenea. R. Tempus est absolutum* in se & per se *spectatum: Sed* ratione nostri *fit respectivum quia nos illud ut mensuram durationis Physicæ in motu assumimus. Hoc modo propter nos rectè per respectum illum definitur, qui tempori hoc modo spectato fit essentialis. De-*

fini-

finitiones autem debent inservire clariori nostræ cognitioni. V. t. 12. *Sic Deus in se est ens absolutum: Ut à nobis assumitur ut prima idea & mensura rerum, ita ei respectus transcendentalis advenit, ex quo ratione nostri rectè definietur. Sic verum, bonum, ut à nobis per respectum conformitatis & convenientiæ concipitur, ita & rectè per eundem pro nostrâ cognitione definitur, de quo Metaphysici.* Deinde *mensura non est quid respectivum secundum esse & prædicamentale, sed dici & transcendentale. Tale & primò absolutum esse nil repugnat. Idem de tempore habendum. Non per respectum mensuræ fit* relatum prædicamentale, sed transcendentale saltem. *Sic potentia definitur per respectum ad obiectum & actum, nec relatum prædicamentale fit.* 2. Mensura *sit prior mensurato. Tempus posterius motu. Nam antequam motus fuit, tempus non fuit. R. Mensura activa est prior mensurato: passiva simùl vel posterior eo. Talis est tempus.* V. t. 12. *Sic pannus mensuratus & mensura panni passiva simùl sunt. Et mensura est prior mensurato, vel ex re, vel ratione nostri. Motus est mensura temporis ex re, & sic naturâ prior tempore: Tempus est mensura motus ex ratione & nostrâ assumptione, & sic ut prius eo assumitur. V.* Scalig. ex. 352. ſ. 2. *Ita mutuò ista per se definiuntur.* V. th. 16.

20. 3. Mensura *debet esse notior mensurato. Sed tempus est ignotius motu. E. R. Mensura sit notior,* vel *quà rem,* vel *rationem. Ex ratione, ut tempus tanquam mensuram motus assumimus, ita tempus est notius motu:* Ut *motum mensuram temporis, ita motus erit notior. Sic ulna notior panno, ut mensura: ut lignea, eburnea, argentea, &c. potest pannus notior esse ulnâ.* 4. Mensura *realiter differat à mensurato, sic ulna à panno: Tempus ratione tantùm differt à motu, est enim ipsius motus discretio numerando facta. R.* 1. *Mensura activa realiter differat à mensurato, sic sextarius à vino, modius*

à tritico, ulna à panno & serico: passiva non. Sic triticum modio mensuratum dicitur modij mensura, eamq; ut determinationem quantitatis suæ in se habet: pannus ulnam longus dicitur ulna panni, & est ipse pannus mensuratus, res & velut rei modus s. determinatio. Hic rationis discrimen sufficit. Talis mensura est tempus th. 12. 2. mensura vel *realiter differt à mensurato*, vel *est primò diversa. Sic Deus est prima omnium mensura, & rigidè non differt à creaturis, sed est primò diversus, ut Metaphysici loquuntur.* 3. Mensura *rigidè dicta & ex suâ naturâ talis, realiter differat à mensurato, non analogica & respectu nostri assumpta. Sic æternitas à nobis concipitur, ut mensura durationis divinæ, & non differt ab eâ realiter, sed ad summum ratione quia non est mensura rigida & exquisita, sed analogica & assumpta. Vt benè* Valentia T. 1. d. 1. q. 10. p. 1. *Ens mensura unius, veri, boni, & attributorum suorum, & non differt ab illis realiter, sed ratione & modaliter. Totum similare est mensura partium omnium simùl sumptarum, nec tamen realiter ab illis differt, sed ad summum modaliter.* Alii *respondent, tempus non mensurare* motum primi mobilis, *à quo non differt realiter,* sed aliorum inferiorum, *quorum durationes tempore mensuremus. Ita durationem primi mobilis ut medium assumi ad explorandas durationes inferiorum rerum.* Jauhæus l. 4. Phy: c. 3.

21. 5. Mensura *sit homogenea mensurato, i. e. ejusdem generis cum eo. Sed tempus non cum motu. Nam motus est continuum quid, tempus discretum, est enim numerus. R. Mensura sit homogenea* vel *secundum rem*, vel *rationem. Motus etsi ex re sit continuus, ex ratione tamen, ut partes eius discretè numeramus in fluxu, fit discretus, & sic re discretâ, qualis est tempus, mensurari potest. Ita & motus & tempus est discretum qualitativè, etsi sit continuum quantitativè.* t. 12. *Ita utrumq; sibi est homogeneum.* 6. Mensura *sit cer-*

ta,

ta, fixa, & immota. Tempus est fluxum, rapidum, mobile. R. Mensura sit fixa in rebus fixis & permanentibus, fluxa in rebus fluentibus & transeuntibus. Qualis enim res, talis mensura. Motus est ens transiens & successivum, non permanens. Tale quid & ejus mensura, tempus est. 7. Mensura sit minima & indivisibilis. 10. Meta: c. 1. Sed tempus continuum & longissimum. R. Mensura Mathematica & mensurans sit talis, quà mensurat: non Physica, assumpta, & passiva, qualis tempus: nec mechanica, quales multa corpora divisibilia esse possunt. 8. Mensura non generetur â mensurato. Sed tempus gignitur â motu. R. Mensura formalis non gignitur â mensurato: benè materialis. Sic pannus fit ulnam longus ab ulnâ. Et tempus aequivocè fit â motu. Est in motu ab intellectu numerante numerato, Vnde completivè ab animo est. t. 5. 13.

22. 9. Si Aristoteles per vocem numeri numerum passivum intellexit, E. debuit dicere, tempus est motus numeratus, non, est numerus motus. Nec enim numerus passivus ita dici solet. R. Vtroq; modò dicitur, & numerus rei, & res numerata. Sic libram carnis edere, amphoram vini bibere dicitur, & carnem librâ mensuratam, vinum amphorâ mensuratum. Sic ulna panni, & pannus ulnâ mensuratus dicitur. Sic tempus est numerus motus, & motus numeratus. 10. Ineptè dicitur numerus numeratus. Nec enim numerus ipse numeratur numero, sed alia res â numero. R. non est sensus, quasi ipse numerus formaliter sumptus numeretur, sed materialiter res, quae numerus dicitur, est numerata. Illa res hic est mensura, & quae vox in hac doctrinâ est vsitata, numerus. Ita pro re quadam ista vox assumitur, non pro numero ipso. Et est sensus: Tempus est mensura numerata secundum prius & posterius. Sic libra carnis, ulna panni, amphora vini dicitur. Nec tamen caro fit ipsa libra, ulna pannus, vinum vrceus. Ita communissimè dicitur. Si omninò nihil horum diceretur apud Philologos, satis

esset

esset, si apud Philosophos diceretur. Horum usus in his & similibus materiis & vis & norma loquendi esset. 11. Om. numerus *habet minimum, unitatem. Tempus non habet minimum, est enim continuè extensũ. R. Numerus formalis habet minimũ tempus est numerus materialis & concretus,* th: 13. *Et instans s. momẽtũ temporis minimũ dicere nihil impedit. Respondet enim unitati in numero.* 12. Numerus *numeratus est in qualibet re singulatim, ut binarius in duobus equis, ternarius in tribus. Sed tempus non est in quolibet motu. R. Tempus non inest ut albedo, Sed adest & circumstat, ut vestis. Et qualibet parte motus numeratâ est tempus, sed partialiter, vel præteritum, vel præsens, vel futurum. Est enim tempus ens fluens & successivum, non permanens & fixum, cujus totum esse sit vnâ vice simùl.* 13. Numerus *est ens aggregatum, est enim multitudo. Tempus est simplex quid, est enim continuum. R. Tempus est continuum ex re, sed ex ratione est discretum, respectu partium numeratarum.* th: 13. *Ita & aggregatum per fluxum & successionem dici potest.*

23. 14. Vt concipit *ratio, sic & Logicè definit. Sed Logicè concipit tempus, ut durationem præteritam, præsentem, & futuram. E. & sic definiet. R. Tempus non est ens Logicum, sed Physicum. Si Logica ita concipit tempus, falsò concipit.* th: 6. *Et si omne ens ita definiendum, ut Logica concipit, omne ens reale ut notio secunda ratiocinativa definiendum erit, sic enim Logica concipit.* 15. Definitio *fiat per consentanea, non opposita. Absurdè enim fieret. Sic si hominem animal insensatum diceres. At definitio temporis est ex oppositis. Intelligitur enim numerus & actualis & potentialis.* th: 12. *At actus & potentia sunt opposita. R. Actus & pot:* & *sunt* opposita, *ut unum relativè respicit alterum ut oppositum terminum:* & apposita, *quà unum pendet ab altero, ut proportionato suo obiecto. Sic visus à colore, actus à potentia, potentia ab ordine ad actum. Ita*

& a-

& actus & potentia in definitione comprahendi possunt. Sic homo est animal rationale, i.e. & potens ratiocinandi, & actu ratiocinans: Canis brutum latrans, quod & potest latrare & actu latret. Sic hic numerus, qui & actu numeratur, & numerari potest. Hactenus non sunt opposita, & sic simul in definitione intelligi possunt.

24. 16. Definitio *fiat per clariora, non obscuriora. Sed quid prius, instans, posterius sit, obscurius est, quam quid tempus sit. R. Definitio fiat ex clarioribus saltem cognitione distinctâ, ex quâ devenias in cognitionem totius definitionis. Et sic prius oportet nosse, quid prius, posterius, instans sit, quam noveris totam temporis definitionem distinctè. Sic prius nôris, quid animal, quid rationale sit, quàm distinctè nôris, quid homo sit. Ita prius & posterius erunt clariora notitiâ distinctâ, totâ temporis definitione Ita in illâ sunt declarata.* t. 16. 17. Nihil *definitur per seipsum, sed per aliud. Sed præsens, præteritum & futurum sunt ipsum tempus. R. Nihil definitur per seipsum sc. in notionali & prorsus identicâ consideratione, ut nulla per partes explicatio partialior accedat. Vt, Terra est terra, Homo doctus est homo doctus: benè reali, & attendendo ipsius rei naturam, ita eadem res est, quæ definitur, & quæ definitione per partes distinctè explicatur. Sic idem est in re, homo, & animal rationale. Rectè idem hoc modo in definitione temporis fit. Sic definitio & definitum eadem esse dicuntur* 6. Top. c. 7. l. 7. c. 2. *Ita idem per seipsum in ipsâ re spectando definiri nihil miri est.*

25. 18. Definitio *debet reciprocari cum definito. Mensura motus per prius & posterius non, nam fuit tempus antequã motus Physicus esset, ante omnia secula, dicente* Cicerone, V. th: 8. *Et æternis, incorruptibilibus, spiritualibus etiam debetur tempus, quibus non motus Physicus. R. Meræ principij petitiones hæ sunt. Falsum, ante motum verum tempus fuisse. Ci-*

 cero

cero more Philologico tempus abusivè sumit pro omni duratione. V. t. 8. *falsum etiam, spiritualibus & æternis tempus deberi.* V. th. 34. *Sine motu Physico cogitato nec tempus Physicum, quale in Physicis tradendum, cogitatur, nec explicatur.* V. t. 14. 19. Contrariorum *est eadem ratio. E. ut æternitas est duratio infinita, sic ex contrario tempus est duratio finita. R: Contraria non sunt exactè paria. Æternitatis enim vera mensura dari non potest, motus Physici potest. Ita expirat contrariorum ratio. Sed & positâ contrarietate, ratione nostri concipitur ut mensura durationis infinitæ, quà nos interminabilitatem Dei sumimus, ut declaret, quanta sit Dei duratio, habitâ ratione ævi & temporis,* V. Cl. I. M. l. 2. Eloh. c. 51. Dn. Scheib. l. 1. Meta: c. 16. n. 42. 84. Valent. T. 1. d. 1. q: 10. p: 1. *Vnde tres mensuræ durationum dici solent: tempus, ævum, & æternitas,* V. Perer. l. 12. d. nat. c. 4. 5. *Ita & tempus rectè concipietur ut mensura durationis finitæ in motu Physico. Et sic in Physicis rectè definitur.* 20. Prius *& posterius in tempore aut est prius & posterius motus, & sic tempus erit ipse motus: aut temporis, sic tempus definietur per tempus, quod vitiosum. R. Aut est motus numerati per partes suas successivas. Sic aliquid per partes suas, vel quasi partes definiri nil inconveniens. Vt risibilitas est potentia ad risum, movendi potentia ad motum. Sic definitur tempus in ordine ad spatium, quod motus interea perficit. Plura in discursu.*

26. *Fuit hucusq;* definitio temporis: *Sequitur* divisio. *Ea* vel in species, vel gradus, vel partes. Ex speciebus *tempus dividitur* vel *apparenter* vel *verè. Apparenter* 1. in æternum & creatum. *Ita Ramistæ cum Ramo* locis th. 6. *citatis. Photiniani, Arminiani & Vorstiani præeunte Vorstio, consentiunt, in æternitate tempus statuentes.* V. th: 34. *Æternitati nullum tempus propriè dictum competit, nisi valdè abusive vocem sumas, de quo* th. 8. tempus creatum *nimis generali-*

raliter dicitur. Etjam angelis & animæ humanæ separatæ duratio aliqua creata competit, quibus tamen non tempus Physicum, de quo hoc loco. Potius tempus ita generaliter sumptum, ut quamvis durationem creatam notat, & æternitati præcisè contradistinguitur, Metaphysico in doctrina durationum considerandum relinquitur, non Physicis aut Logicis materiis immiscetur. De eo vid. Sche.c.l. n.74.75. 2. in internum & externum. Zanch.d.op: 6.dier: l.1. p. 2. c.7. l.6.c. 1. Altingus not.ad disp.D.Behm d: cœlo. q.8.th:4. Timpl. l. 1. Meta: c.5. q: 12. & l. 2. Apsych: c.9. q: 1. KecKer. l. 1. Phy: c. 7. l. 1. d. loc. c: 7. Alsted. l. 7. Encycl. p: 1. c. 12. *Hoc etiam* nimis generale est. Tempus internum *nimis generaliter tempus dicitur, cum reverâ non tempus, sed duratio essentiæ interna rei, & existentiæ continuata permansio sit: Tempus ipsum non est inhærens & internum, ut motus, sed externum & adhærens, ut vestis, numerus nempe in motu ab intellectu numeratus vel numerabilis.* th: 12. *Perinde ac* locus *malè in internum & externum dividitur, cum non sit internus, ut situs & dispositio partium corporis in motu, sed externus, ut vestis aut aer, & terminus corporis extra continentis.* Vbi significata vocum deducuntur, *ibi inter alia & ista temporis significatio adduci potest, quâ internam durationem notat, ut* th: 8. *factum: sed ubi distinctis iam significatis reales obiecti, de quo tractatur, divisiones sunt subiungendæ, temporis in internum & externum divisio propriè nulla est. Nec hic libertate ampliandi significata vocum, Philosophis aliàs relictâ, abuti debemus, nisi patientiâ Philosophorum abuti velimus.*

27. *Et rationes, quæ pro tempore interno adferri solent, parum momenti habent.* Extra *mensuram durationis quodlibet corpus naturale internam suam durationem verè citra ullius intellectum cogitantem sibi competentem habet: sed illa nondum est tempus propriè dictum, de quo hic agimus, sed du-*

 rati-

ratio & existentiæ rerum continuatio. Et corpora ante solem & lunam creata durationem habuerunt, tempus non habuerunt, nisi tempus æquivocum & planè extraordinarium intelligas. 3. In primum, quod motum animæ sequatur, & secundum, quod motũ cœli. Ita Academici olim ap. Cl. I. M. c. I. part: Met: Tempus primum hoc modo etiam æquivocum est. Animæ enim motus Physicus & corporeus subiectivè non competit, cum sit spiritus immaterialis, ut alibi probatur, & sic nec tempus datur, talem motum animæ sequens, quod inde primum dicatur. 4. In tempus sublunare, continuum, superius sublunari, & discretum, quomodo Thomistas dividere author est Perer. l. 12. d, Phil. c. 17. Sed tempus continuum ad discretum benè revocatur, vel omninò ad aliam speciem pertinet, ut ævum. Vt th: 28. dicetur.

28. Realiter tempus Physicum dividi poterit ex speciebus velut analogicis, (rigidum enim genus tempus non est, cum non sit directè & primò ens prædicamentale, th:5.) 1. in primarium & secundarium. Primarium, quod â motu cœli distinctè numerato dependet, ejusq́ fluxum sequitur. Vt cum in diem, horam, mensem & annum secundum solem & lunam tempus dividimus. Hoc tempus unum idemq́ est apud omnes, prout ipse cursus Solis & lunæ apud omnes populos est idem, modò iusta accedat observatio. Secundarium, quod â quovis motu numerato dependet, ut horologiorũ, clepsammiorum, clamorum, V. c: 15. Hoc varium & multiplex esse potest, prout diversa numerandi motum ratio apud diversos esse potest. 2. In directum & indirectum. Directum, quod in corporibus Physicis motui Physico primò subiectis obtinet. Indirectum, quod in motu angelico in corpore aliquo quanto vel assumpto, vel extrà commoto, invenitur, secundum eam rationem, secundum quam in corpore exerceri dicitur. Ita angeli interdum corpora de loco in locum movent. Sic Habacucum in sacris, ad: Dan. v. 35.

Dia-

Diabolus Christum in pinnam templi & montem. Matth: 4. v. 5. 8. *Veras enim locorum translationes fuisse plurimi Theologorum, nec injuriâ, arbitrantur. Ita Dæmones lamias suas per aërem motu celerrimo transferre solent.* Thomistæ *talium motuum tempus* continuum *vocant. Reipsâ non est diversum â nostro Physico & materiali discreto: nec multum stringunt, quæ contra reductionē talium motuum ad nostrum tempus Thomistæ proferre solent, de quibus* Vid: Per. c. l. c. 17. *De motibus spiritualibus angelorum in essentiâ & attributis diversa est ratio.* Illi *ad* ævum *& durationem immaterialem pertinent, de quibus partim Metaphysici, partim Pneumatici.*

29. *Ex* gradibus *divisio temporis nulla. Reducitur enim tempus ad quantitatem,* th: 14. *Cuius nulla gradualis est intensio, quæ solarum qualitatum est propria.* Arist. cat. d. quant. *Revocari ad gradualem divisionem possit* accidentalis differentia, *quâ in* diurnum, *quod* vel *matutinum,* vel *meridianum,* vel *vespertinum: &* nocturnum, *quod* vel *post vesperam,* vel *mediæ noctis,* vel *ad auroram vergens est: exiguum vel prolixum, gratum vel tædiosum, & quæ similia membra sunt, quæ alibi tractanda.* Ex partibus *tempus* vel est præteritū, vel præsens, vel futurum. *Definitiones vide* th. 17. *Præsens etiam* exstans *dicitur Capellæ, quod solum reverâ velut extet, cum præteritum raptum sit, futurum expectetur. Et* tempus insecabile, *respondet enim atomo & puncto in lineâ, quod minimum: Usitatè momentum,* νῦν, *nunc, præsens, &* instans. Baptista Egnatius *in* expl. Lucretij *instans barbarum habet, præpræsenti,* ap: Goclen: l. 2: probl. Gram. q. 85. *Sed Latinis authoribus usurpatur.* Quintilian. l. 5. c. 10. *Tempus generaliter acceptum est, ut nunc, olim, tunc, denique, præteritum, instans, futurum.* Tac. l. 3. Hist: c. 7. *Vitellius præterita, instantia, futura, pari oblivione dimiserat.* Cicero 4. Tusc. quæ: §. 11. *Quæ venientia metuuntur, eadem*

efficiunt ægritudinem instantia. Partes illas complexus est Lucret: l. 1. d. rer. nat: Tempus transactum quid sit in ævo, Tum quæ res instet, quid porrò deinde sequatur. *Et scriptura*, Apoc: 1. v. 4. 8. c. 11. v. 17. c. 16. v. 5. c. 17. v. 8. Hebr. 13. v. 8. *Estq; instans duplex:* ordinarium, quod *est finis præteriti & initium futuri, quale nostrum est:* & extraordinarium, *quod est initium futuri, sed non finis præteriti. Tale illud, quod in cre atione rebus concreatum fuit, & unâ cum creatis esse cœpit per motum astrorum.*

30. *De* instanti *quæruntur* duo: 1. An pars temporis dicendum, an vinculum? *Qui partem esse neget, arguat, quod indivisibile non possit esse pars divisibilis, quale quid tempus est, ut quod per fluxum continuè successivum dividi potest: Et quod tempore dicatur res durare. At nihil momento duret. Dicendum hic: Instans consideratur* vel Mathematicè, *ut minimum & indivisibile, & velut punctum temporis, è cujus continuatione aliud componatur, sic non est pars, sed principium temporis. Sic unitas accuratè non numerus, sed principium ejus: punctum non linea, sed principium lineæ; scaturigo non fluvius, sed principium fluvij. Sic Aristot: continuationem & terminum temporis instans vocat.* 4. Phy: t: 121. 125. Vel Physicè, *ut est medium iungens præteritum futuro, prius & posterius habet, præteritum & futurum, quæ partes sunt temporis, designat, & ad totum temporis fluxum continuè aggregandum facit: Sic omninò pars totius istius fluxus ex præterito, præsenti, & futuro aggregrati est, quomodo qualibet pars continuativa motus pars motus est, & quomodo quædam vincula rerum & partes ipsarum sunt, ut spiritus vitalis hominis, copula propositionis. Huc referendum, quod quidem* instans formam temporis *vocant:* ap. Conimbr: a. 4. c. l. *quod eadem analogiâ accipiendum, ac copula forma propositionis dici solet, quia præstat aliquod munus formæ, & iungit alterū alteri.*

31. *Ad*

31. *Ad* obiecta *tenendum*, 1. Indivisibile *non est pars divisibilis, ut sic, & in quanto continuo: benè ut aggregatur, & in quanto discreto. Sic unitates numeros faciunt, puncta continuata lineas.* 2. Momentum *non est totus iste fluxus temporis, ita nec tempus: Inde nec momento aliquid durare dicitur: Sed est pars minima temporis. Cujus qualibet parte aliquid durare dici non est opus.* Tempore succesſivo *propriè durare res dicuntur*, non momentaneo. *Vel durare valdè generaliter sumendum pro quovis existere, etsi existentia inchoata tantùm sit, quomodo in Metaphysicis ita sumi solet.* V. Schei. 1. Meta. c. l. n. 11. 12. *& tempus ita dici potest quævis duratio rerum naturâ defectibilium.* 2. An unum sit in tempore, an plura? *Est unum* formaliter, *ut medium connectendi præteritum & futurum, & imaginatione velut fluentiæ unius puncti ad aliud; Quod voluit* Aristot: t. 103. 104. *multum* materialiter, *& ut tractus diversorum νῦν continuâ successione absumptorum, sic nullæ partes temporis eædem manent, sed perpetuâ absumptione succedunt diversæ. Et hoc vult* Arist: t. 10. *Momenta alia & alia in tempore esse.* Ut *centenarius boum & hominum quâ numerum idem est: quà materiale numeri, quod in hominibus & bobus est, diversus: Sic instans, ut instans, unum in tempore: ut hoc & hoc instans, succedens, diversum.*

32. Fuit divisio temporis: *Sequitur* Causa. *Ea* vel prima, *ut Deus, tempus rebus creatis per primum esse in creatione concreans:* Vel remota, *ut cœlum & astra, cursu suo temporis fluxum & numerabilitatem in motu efficientia:* Vel proxima, *animus humanus, vel angelicus, fluxum motus per prius, nunc, & posterius numerans:* Vel accidentalis, *ut artifex, aliusq́ homo, certis signis motus quantitatem determinans, & sic tempus faciens:* Vel materialis, *& hæc motus aliquis observatus est:* Vel finalis, *& hæc distinctio rerum & usus creatarum*

tarum rerum est: Vel formalis, *quæ definitione est expressa.* th. 11 *De* Deo *quæri solet:* an tempus numeret? *Primò, directè, per & in se non facit, nec enim Dei cognitio est partialis, quâ partialiter unum ut prius, alterum ut medium, tertium ut posterius cognoscat: Sed totalis, perfecta, omnia simùl, & uno indivisibili νῷ adæquatè complectens: Sed* secundò, indirectè, *per aliud, animum humanum vel angelicum, partialiter ista concipientem, quatenus universam ejus amplitudinem & capacitatem totaliter compræhendit & penetrat, & sic in isto compræhendendo & istos partiales conceptus simplicissimè & perfectissimè pervadit. Ad eam rationem, quâ de discursu Deo attributo in Logicis dici solet,* V. d. Scheib. d Syll. c. 1. n. 3. *Et ente rationis cognito ab eo in Metaphysicis. V. eundem* l. 1. Meta. c. 27. n. 51. Smiglec. d. 1. Log: q: 8.

33. *Hæc de* causis *temporis: Sequuntur* affectiones. *Eæ* vel veræ, vel apparentes: Veræ, *quæ citra fictionem intellectus ei competunt. Suntq;* unitas, continuatio & discretio, subiecti & adiuncti habitudo, reproductio, & contrarietatis reiectio. Unitas *est, quâ tempus in se reverâ est unum materialiter, fundamentaliter, & formaliter generaliter.* Materialiter, *ratione successionis in motu, quæ ut successio est, semper una & eadem est: etsi ut hujus vel istius motus est successio, multiplex esse possit.* Fundamentaliter, *ratione motus, in quo tempus numerari debet, qui semper unus est, ut progressum habet, in quo tempus numeratur.* Formaliter generaliter, *ratione definitionis, quæ in omni tempore una & eadem est: Vbicunq; enim tempus, ibi numerus ex priori & posteriori numeratus est.* th. 11. Formaliter specialiter *tempus multiplex esse potest, ratione hujus & istius motus, in quo numeratur. Vt in motu cœli, arenæ, horologij, &c.* V. t. 15. Continuatio *est, quâ temp: ratione motus ex re est continuum & successivum:* Discretio, *quâ idem ratione partium motu distincta-*

stinctarum ex ratione & intellectu sit discretum. t.14. Subiecti & adiuncti habitudo, *quâ res* vel *in tempore esse, vivere, durare, moveri dicuntur, & sic tempus velut subiectum spectatur, cui res adjiciuntur:* Vel *tempus res circumstare, iisq́ adiacere intelligitur, sic tempus commune rerum naturalium adiunctum est, circumsistens illas & ad distinctionem antecedentis & consequentis mensurans.*

34. Reproductio & annihilatio, *quâ & tempus* idem specie *naturaliter semper recurrit, quod spiris in serpente involutis* Ægyptii *notabant*, th. 1. *&* Græci *innuebant, annum vocantes* ἐνιαυτὸν, *quasi in sese reflexum & redeuntem: &* Latini, *annum dicentes ab* am, *&* no, *quod circum natet & in se vicissim redeat: Et* idem numero *reproduci potest* supernaturaliter, seu potentiâ Dei absolutâ, *quâ* sensu diviso *idē tempus, quod fluxit, reproduci potest, ut iterum fluat: quomodo sub HisKiâ retrahendo gnomonem in jndce Achabi simile quid factum, ubi sole retracto tempus, quod effluxerat, iterum fluere factum à Deo,* Esai. 38. v. 8. *non* composito, *ut præteritum iterum fiat præsens, posito, quod sit & maneat præteritum: Et* eadem potestate Dei *simpliciter tempus, quod fuit,* annihilari *potest, eodem* sensu diviso, *ut absolutè non extiterit,* non composito, *ut non fuerit & extiterit, posito, quòd tamen verè præteritum extiterit. In his enim & similibus realis contradictionis est implicatio, quæ simpliciter est impossibilis, ut communiter & verè hac in re Scholastici sentire solent.* V. Suar. d. 50. Meta. s. 9. n. 14. D. Gerh: ex: T. 1. d. Deo. §. 205. Timpl. 1. Met. c. 5. q. 14. Contrarietatis repulsio, *quâ tempus nihil verè contrarium sibi admittit. Est enim quantitas aliqua,* vel *continuæ* vel *discretæ inferenda, pro diverso respectu; Cui nihil verè per se contrarium, nisi in comparationem cum aliquo veniat.* Aristo. cat. d. quant: Latè contrarium, i. *e.* disparatum, diversum, privativum, & contra-

tradictorium *admittere potest*. Disparatum, *Ita disparata mensura creatæ species tempori opposita esse poterit* ævum, *mensura durationis angelicæ*: Diversum, *ita mensura analogica primò à quavis creatâ diversa erit æternitas*, th. 20. Privativum, *ita privativè ei opponetur temporis carentia, ubi dari posset & deberet tempus. Sic si mundo, ut est, permanente, Deus motum cœlestem inhiberet, ut tempore* Josuæ. Jos. 10. v. 13. *Tale tempus* extraordinarium *& duratio qualiscunque dici posset, cum reverâ temporis potius privatio esset*. Contradictorium, *ita non tempus & nihil mensuræ in duratione* Physicâ *contradictoriè ei oppositum erit*.

35. Apparentes affectiones *sunt, quæ ex intellectus fictione & opinione ei competere putantur, cum reverà non competant. Vt* æternitas, efficacitas & divinitas. Æternitas *tempori tribuitur* 1. à quibusdam gentilibus, *ut qui tempus Deum putaverunt, de quibus* t. 44. *Dei enim propriũ, æternum esse.* Aristoteles, *ex mundi & motus æternitate* l. 8. Phy. c. 1. t. 10. 11. *De illius tamen mente diversi sunt authores*. Quidam *æternitatem respectu motus & generationis Physicæ intellexisse putant, ut* Thomas, Albertus M. Vdalricus, Argentinas ap. Conimbr. 8. Phy. c. 2. q. 3. a. 1. Scalig. ex. 61. s. 3. ubi & Averroëm *sic limitat*. ex. 365. s. 4. 5. Alsted. l. 6. Encycl. p. 1. c. 4. §. 4. l. 7. p. 8. c. 1. §. 3. D. Kesler. Ph. Phot. s. 1. §. 8. Quidam *simpliciter eam Aristoteli tribuunt*, Beda p. 6. axiom. Conimbr. c. l. MendoZ. d. 17. Phy. §. 1 Bonaventura *ap.* eundem c. l. D. Meisner. p. 1. P. S. s. 3. c. 3. q. 1. Taurell. p. 1. d. rer. æt. Ram. l. 8. Sch. Ph. c. 1. 7. 9. Barthol. Cosmol. q. 11. *Et validè omninò* Perer. in c. 1. Gen. v. 26. & præf. l. 15. Phys. *ubi nullũ dogma certius, firmius & exploratius apud Aristotelẽ esse ait*. l. 5. c. 7. *ubi creationem ei incognitã fuisse ait: &* Aphrodisæus *ap.* Conimbr. c. l. *ubi maximè in eâ sententiâ Aristotelem sibi constare ait. Aristotelẽ sequuntur* Proclus *&*

Aver-

Averroës ap: Perer: l. 15. c. 1. Chaldæi ap. eundem c. 1. in Genesin. Democritus ap. Aristotel: 8. Phys: t. 10. *Ubi addit* Arist: *omnes, præter Platonem, in hoc concordes esse.* Porphyrius ap: Bodin: l. 4. d. Rep: c. 2. p. 527. Macrobius in l. 2. som. scip. c. 10. 2. A quibusdam Christianis, *ut* Rameis, *qui tempus increatum & æternum dividunt, de quo* th: 28. Machiavello, *ut ei tribuit* Antimach: l. 2. th: 4. p. 201. Photinianis, *ut* Socino c. 8. præl. *Tempus æternum est, quicquid contrà disputent Theologi.* Bebelno c. KecK. p. 2. c. 8. *An æternitas tempus non est? At est duratio præsens, præterita & futura, ut & tempus.* Vorstio not. d. dis. 3. th. 7. p. 203. *Sciendum, durationem reverâ idem esse, quod tempus in genere acceptum, licet vulgo aliter sentiant. Postea* p: 204. *Tempus in genere, Metaphysicè & Logicè consideratum est generale omnium entium attributum. Et qui dicit, ante & post mundum non esse tempus, is reverâ tempus esse dicit, cum etiam Grammatici hæc adverbia temporis appellent.* p. 206. *negat, æternitatem totam simùl existere, aut omnibus temporum differentiis coëxistere, vel successionem præteriti & futuri non admittere. Quam sententiam* omninò falsam *esse, & contradictionem implicare ait. Simi lia habet in* exeg. apolog: c. 12. & p. 2. con. Sladum l. 1. §. 14. 77. 88. parasce. ad collat. Piscat. p. 2. c. 5. amic: *collat:* s. 37. *& alibi. A Vorstio non abludent* Arminiani, *quorum sententiæ utplurimum Vorstij placitis consentire solent.*

36. Falsa *hæc universa. Quamvis durationem, etiam æternam, statim tempus dicere, nimis æquivocum est,* th. 8. *&* 18. *Et æternitati successionem per prius & posterius tribuere insolens & absurdum est.* 1. Scriptura *negat mutationem successionum & tempus hominis in Deo esse* Psal. 102 v. 28. Malach. 3. v. 6. Job. 10. v. 5. Jacob. 1. v. 17. *E. nec prius aut posterius in ejus duratione esse potest, ut in nostro tempore.* 2. Ra-

tio reclamat. *Nam ista successio prioris & posterioris* vel *erit in Deo*, vel *extra Deum*. Non extra Deum, *nam ante mundum nihil aliud ab æterno fuit, quàm ipse Deus, ut ex historiâ creationis novimus.* E. in *Deo*. *At si in ipso Deo est successio prioris & posterioris, erit in eo mutatio, & summa imperfectio, & nunquam totus simùl erit, Nam omnis motus per prius & posterius succedens est imperfectus, mutabilis, & nunquam totus simùl completus, sed semper successione partium complendus. At hoc à naturâ Dei alienissimum, qui totus perfectissimus, indivisibilis & immutabilis.* Malac. 3. & Jac. 1. 3. Nullum *contradistinctum est id, cui contradistinguitur. Sunt enim species rerum contradistinctæ oppositæ, ut homo & brutum sub animali, albedo & nigredo sub colore, quarum unum nunquam fit alterum.* Æternitas contradistinguitur tempori, *Tres enim durationum species ex communi Philosophorum sententiâ dici solent*, æternitas, *quæ est duratio Entis simpliciter indefectibilis*: ævum, *duratio Entis naturaliter indefectibilis*: tempus *duratio Entis naturaliter defectibilis*. E. *ipsum tempus esse non potest.* Nihil *proficit effugio suo* Vorstius not. ad d. 3. th: 7. p. 204. *Etiam unum diem opponi duobus, & totum dimidio, & tamen species vel partes temporis esse. Sic mundi hujus durationem etiam* αἰών *vocari*, Matth: 28. v. 20. *quomodo aliàs æternitas vocetur.* Applica *enim iustè hoc ad præsens negotium, & res erit liquida, nec contra nos, sed pro nobis faciet.* Ut unus dies non est duplex dies, *nec totus dimidius, quia opponuntur & contradistinguũtur: Ita nec æternitas tempus, quia ei opponitur: Sic rectè se nostræ rationis nervus habebit. Dies unus aut dimidius* non opponitur tempori, *unde nequit colligi, quod tempus non sit, sed* duplici & toti: *Vnde hoc immotè colligitur, diem unum non esse duplicem, nec dimidium totum. Quod* αἰών *in sacris etiam durationem finitam notet*, ad ambiguitatem vocis *pertinet*,

net, quæ similiter in voce temporis observata est, th: 8. *Sed hoc non tollit contradistinctionem diversarum specierum, quæ post distincta vocis significata adducitur, ubi jam ad unam & propriam significationem vox est traducta, ut hic vox temporis* tempus Physicum *per prius & posterius succedens notat*. Tale tempus *an æternitati competat, quæritur. Rectissimè hoc negatur, quia contradistinguitur æternitati, tanquam diversæ penitùs à tempore durationis speciei.* 4. Quod ad tempus collatum *eam proportionem habet, ut 1000. anni uni diei aut vigiliæ nocturnæ æquipolleant, id tempus esse non potest. Nam in tempore nunquam talis proportio admittetur, cum certum sit, in temporis differentiis immane discrimen inter 1000. annos & unam vigiliam esse. At æternitas tempori collata ita se habet, ex* Psal. 90. v: 4. 2. Petr. 3. v. 8. *E. ipsa tempus esse non potest.*

37. 5. Accedunt authoritates & *gentilium*, & *Christianorum, tempus æternis negantium.* Ex gentilibus, *ut* Aristoteles 4. Phys. c. 12. t. 117. & l. 1. d. cœl. c. 9. t. 100. Plato, *qui tempus æternitatis imaginem dixit ap.* Apulei. l. 1. d. dogm. Plat. & Plutarch. in qu. Platon. *At imago nunquam est ipsa res vera, quam repræsentat.* Plutarchus, de ei ap. Delph. Velleius Epicureus *ap.* Ciceron. l. 1. d. nat. Deor. §. 9. Ex Christianis *quidam* adversariorum *tempus divinis negant. Vt* ex Photinianis, Ostorodus c. 7. inst. §. 3. *ubi diem æternitati repugnare fatetur. At dies, mensis, annus, &c. particulæ temporis sunt. Non multum prodest, dicere cum* Socino, *esse temporis mensuras & distinctiones. Nam & ipsum tempus est mensura, non simpliciter duratio*, t: 18. *Et dies, annus, mensis & tempus esse possunt & temporis mensuræ. Partes enim mensurant totum. Et dies, hora, annus, velut partes temporis sunt.* Catech. Racou. p. 66. 67. & Smalcius in exam. 157. error. p. 139. *negant differentias temporis in æterni-*

ternitate esset. & l. d. div.verb c.Smigleg.c.5.p.21.*negat æternitati principium aut finẽ convenire. At cui principium & finis nõ convenit, ei nec successio prioris & posterioris convenit quæ ab analogiâ principij & finis pendet.* Idem c.Smiglec.*vitã naturâ immortalẽ non admittere verè partitionẽ aliquam ait*, ap.D.Kesler.Phy.Phot.s.2. pr.9.§.3. *Quod & urget* Socinus resp. ad def.Puccij.c.3.p.103. *Si talis vita partitionem non admittit, cur æternitati partitionem secundum prius & posterius adscribunt.* Moscorov. d. bapt. c. Smiglec. c. 9.p. 196 *ante & post locum in æternitate habere negat. At ante & post sunt differentiæ successionis in tempore.* Vorstius *concedit essentiam Dei esse simplicem & indivisibilem.* dis. 3. th. 2. 3. 6. & not. ad. disp. 3. t. 3. 6. *At æternitas Dei est ipsa duratio Dei, duratio Dei est ipsa existentia Dei permanens : existentia Dei est ipsa essentia Dei, quæ ut est indivisibilis & tota perfectissima, nullam prioris aut posterioris successionem admittens, ita & æternitas Dei. Et sic prius & posterius, quod tempori competit, locum in illâ non habet.* Idem th: 7. *concedit, æternitatem principio & fine carere : & approbat* Boëthij *definitionem, quod sit vitæ interminabilis, tota simùl & perfecta possessio. At ubi hæc, ibi semplena durationis per prius & posterius successio locum non habet.*

38. *Ita* Veritas *confirmata : Videamus, quid contrà objiciant* Photiniani, Vorstius, *& alij, quorum quædam speciè verisimilitudinis non carent.* Dices 1. Duratio præsens, *præterita, futura, est tempus. Æternitas talis est duratio. Ergò. R. Et* maior & minor *hic falsa. Falsum, tempus esse ipsum durationem, si propriè loquaris. Est mensura cujusdam durationis in motu Physico.* th. 12. 13. *Falsum, æternitatem esse talem durationem. Nihil prius, nihil posterius in eâ, quod in tempore. Duratio & angelis, & Deo, & animæ humanæ â corpore avulsæ competit, quibus tempus Physicum propriè dictum*

non

non competit, quod pro naturalibus & corruptibilibus est. 2. Temporis initium, *præsens, non est factum, nam in alio esset factum, & hoc rursus in alio, & sic in infinitum. E. nec ipsum tempus est factum. Nam ubi rei initium non est factum, ibi nec ipsa res est facta. R.* 1. Non *sequitur, si præsens sit factum, ergò in alio præsenti est factum. Nam in puncto extraordinario & indivisibili momento omnium primo fieri potuit, quod initium quidem esset sequentium, sed non finis præcedentium.* Vt enim res cœperunt, ita & rerum tempus & initium, *quod confactum & concreatum potiùs est, quàm primò & principaliter factum aut creatum, quod substantiis competit. Sed res cœperunt existere non ex aliis rebus sui generis, ante existentibus: sed extraordinario & divino iussu, ex nihilo emergere iubente ea,* quæ non sunt, ut sint, Rom: 4. v. 17. *Ita & rerum initium, præsens, cœpit.* 2. Perinde *hæc ratio procedit, acsi dicas:* Primus motus *non cœpit, nam in alio cœpisset, & hic in alio, & sic in infinitum. E. planè non cœpit, sed est æternus. Primus motus non cœpit per alium motum: sed operatione peculiari, quâ à Deo iussus emergere, cum antea nihil esset. Sic:* factio non est facta, *nam in aliâ esset facta, & hæc in aliâ, & sic in infinitum. Factio propriè non est facta, sed aliquid per factionem. Factio est ratio fiendi, non illud, quod per eam fit. Debet in his & similibus præmissis* illud assumi, quod propriè fit per factionem aut motum: non ratio, per quam fit. *Sic arguendum: Quicquid, præter præsens, ordinariè est factum, in præsenti est factum. Iam subsumatur, non præsens, nam hoc excipitur, sed aliud à præsenti. Vt: Homo generatus est factus. E. in præsenti aliquo est factus. Sic* in lineâ *datur punctum inchationis tantùm, non simùl terminationis: &* in numero *datur principium multitudinis, non multitudo simùl, ut unitas: Sic* in tempore *datur præsens initij tantùm, non simùl finis & terminus sui præteriti. Est momentum initiati-*

vum

vum tantùm, non simul finitivum. Tale primum præsens creationis rerum.

39. 3. Si præsens *est factum. E. motu divisibili est factum, nam sic omnia fiunt. At non est sic factum, nam est minimum quid & indivisibile. E. planè non est factum, & consequenter est æternum. R.* Omnia *quæ fiunt naturaliter, motu divisibili fiunt. Sed tempus est factum supernaturaliter, & extraordinariâ Dei operatione per creationem facientis ea, quæ nihil erant, ut aliquid essent.* th: 38. *Et præsens est indivisibile,* ut *in se est: divisibile,* ut *cum alio continuatum est. Sic punctum in se indivisibile: ut continuatum cum alio, fit divisibile, & efficit lineam.* 4. Om: verbum *adsignificat tempus, per Arist.* l. d. interp: c. 3. *Sed in divinis & æternis dantur verba. Sic, Deus olim creavit mundum, jam gubernat eum, aliquando in fine seculorum destruet eum. E. & adsignificatio temporis. R. Om: verbum adsignificat tempus, sed* pro rerum ratione, *de quibus enuntiatur,* vel verum & *proprium,* vel fictum, *improprium, & imaginarium, quod alij tempus* Logicum, *alij* Metaphysicum *vocant. Verba enim secundum eam potestatem significant, quam res, quibus attribuuntur, ferre possunt. Ubi proprium in istis tempus, ibi & tempus proprium adsignificant: ubi improprium, ibi & tale adsignificant. In divinis* tempus proprium *non est, sed æternitas, omnibus temporum differentiis perfectè & plenè coëxistens: Talis ergò adsignificatur per verba de æternis rebus enuntiata. Ipse Aristoteles tempus æternis negat.* V. t. 37. *Regulam ergò in Logicis propositam ad hunc modum limitasset, si tale dubium sibi obiectum audivisset. Deus creavit, i. e. egit id, quod nos præterito tempori pro nostro concipiendi modo assignamus: gubernat, quod nos præsenti: iudicabit, quod nos futuro adscribere solemus. Ita consequenter. Quanquam de* actibus divinis transeuntibus *adhuc peculiare quid est, de quo V.* th: 41.

40. 5.

40. 5. Scriptura *per differentias temporis, præsens, præteritum, & futurum de Deo loquitur.* Exod. 3. v. 14. Psal. 60. v. 3. Psal. 85. v. 2. 3. Esai. 44. v. 6. 1. Cor. 4. v. 5. Hebr. 13. v. 8. Apoc: 1. v. 4. 8. c. 11. v. 17. c. 16. v. 5. *Itemq; ei annos tribuit* Job. 10. v. 5. Psal. 102. v. 26. *dies,* Dan: 7. v. 13. *E. & in æternitate temporis sunt differentiæ, & consequenter tempus. R. Scriptura ita loquitur per* Metaphoram & condescensionem quandam, *quâ se nostro captui accommodat, qui aliâ ratione æternitatis naturam non intelligimus, quàm diversitates successionum in eâ, ut in nostro tempore, concipiendo.* Quod perfectionis *est in istis vocibus, Deo est tribuendum, hoc est duratio:* quod imperfectionis, *id removendum. Hoc est semiplena per partes sibi incompletè succedens duratio. Sic scriptura* membra corporea *Deo attribuit, & tamen* Vorstius *anthropopatheiam agnoscit, & analogian significationis quærit* c. l. p: 185. *Cur non idem in dictis per differentias temporis de Deo loquentibus facit, ut esse, fuisse, fore. Scriptura Deo tribuit annos, sed non humanos,* Job. 10. *dies, sed non fluentes, ut nostri, sed permanentes.* Psal: 102. 6. Ante & post *sunt differentiæ temporis. Sic enim & Grammatici adverbia temporis vocant. At habent locum in æternitate. Sic ante tempus fuit æternitas: Post destructum mundum erit æternitas. R.* Ante & post *sunt differentiæ temporis sc: si tribuantur* tempori reali, *non autem, si imaginario. Sic ante mundum creatum non fuit tempus,* τὸ *ante non significat differentiam temporis realis, nam verum tempus ibi fuisse negatur, sed imaginarij, durationis cujuscunq;, quæ extitit, priusquam tempus existere cœpit. Sic* supra *non notat semper locum realem, sed imaginarium, & quicquid tale est, cui in humanis locus respondere possit. Sic Christus elevatus supra omnes cœlos.* Ephes. 4. v. 10. τὸ *supra non* localitatis *ibi est, sed* sublimitatis. *Super ea omnia, quæ loca vel locantia sunt, est exaltatus.*

Super omne quod nominari potest in hoc vel futuro seculo. Eph. 1. v. 21. *Hic illud tenendum, quod* th. 38. *dictum, verba accipienda esse secundum eam potestatem, quam in rebus, quibus attribuuntur, habere possunt.*

41. 7. Si æternitas *est tota simul, & non admittit præteritum aut futurum, E. quod ante millenos aliquot annos Deus fecit, id & hodiè faciet, quod absurdissimum. Ita adhuc hodiè creabit, eliget jam eos, qui in fide defuncti sunt, & iam tùm electi sunt, non eligendi: iudicabit hodiè mundum, quia in fine mundi iudicaturus est. His nihil absurdius & confusius cogitari potest. R. Negatur consequentia. Æternitas est tota simul,* non in actibus, *qui ipsi attribuuntur, quasi isti omnes sint simul coëxistentes, aut futuri & præteriti sint præsentes;* sed in duratione *& continuatione sui ipsius, quod ista non fluendo perficiatur, ut nostra, sed simul existendo, salvâ actuum ipsi attribuendorum differentiâ. Æternitas ipsa prius & posterius non admittit: Sed Deus liberè potest aliquid agere per prius, aliquid per posterius, ut ipse interim in suâ duratione tempori non subiaceat. Sic* angelus *in assumpto corpore in tempore agere potest, ut tamen ejus duratio maneat* ævum, *non fiat tempus.* th. 28. *Hinc distinguunt aliqui* inter actus Dei immanentes, *ut generatio, decretio, spiratio, in his prius & posterius nullum locum habere:* & transeuntes, *ut creatio, iustificatio, iudicatio: de his verè affirmari posse, alios priores, alios posteriores, præteritos & futuros esse.* Becan. p. 1. Th. Sch. c. 8. §. 11. *Et creâsse mundum, iudicaturum esse mundum, etiam respectum ad distinctum nostrum concipiendi modum involvit, quo nos unum distinctè concipimus succedere alteri, & sic nequit simpliciter dici, præterita & futura omnia esse simul. A nobis enim distincta ut distincta concipiuntur, etsi in re unum interdum sit alterum.*

42. 8.

42. 8. Si æternitas coëxistit omnibus temporum differentiis, ergò ipsæ differentiæ oportet simùl existant, aliàs non poterit illis aliud quid coëxistere. Nam coëxistentia est ad ea, quæ etiam tùm existunt. Sic præsens, præteritum, futurum, erunt simùl: Et si simùl sunt, præsens erit futurum, futurum erit præteritum, & vicissim. Sic omnes differentiæ temporis in unum confundentur. Coëxistere n. dicuntur uni tertio, æternitati. At quæ uni tertio conveniunt, & inter se conveniunt. Sic omnes differentiæ, successiones & ordines temporum confundentur. R. Negatur majoris consequentia. Distinguendum inter coexistentiam rerum simultanearum & permanentium, quæ totæ simùl sunt: & succedentium ac transeuntium, quæ per successionem sunt. Ubi coëxistentia est inter res permanentes, ibi utramq; totam esse oportet: Sic duo homines coætanei sibi coëxistunt, Abrahamus & Isaacus simùl viventes, &c. non ubi inter unam permanentem; alteram transeuntem, Qualis inter æternitatem & tempus. Æternitas coexistit omnibus temporum differentiis, non ut simultaneis, sed ut successivè fluentibus. Hodierno diei coëxistit, ut hodiernus est, hesterno coextitit, ut hesternus fuit, crastino coexistet, ut crastinus erit. Ita nec differentiæ temporum simùl omnes erunt, nec una erit altera. Æternitas coëxistit rebus, ut sunt: permanentibus, ut permanent, transeuntibus, ut transeunt. Sic cœlum coëxtitit olim Abrahamo, ut fuit, nobis coëxistit, ut hodiè sumus; posteris nostris coëxistet, ut futuri sunt. Non hinc vel nos cum Abrahamo simùl existimus, vel posteri cum nobis simùl sunt, aut nos sumus Abrahamus vel posteri, aut vicissim. Sic cœlum coëxtitit aquæ Vistulæ ante annum decursæ: coëxistit illi, quæ hodiè decurrit, & coëxistet isti, quæ post annum decursura est: non inde quæ ante annum defluxit, fit hodiernè defluens, aut quæ post annum defluxura est: sed quælibet in sui temporis ordine defluit,

salva permanente cœli coexistentiâ. Coexistit cœlum rebus distinctis, ut distinctæ sunt, & manent, non ut in unum confusæ aut commistæ. Idem de æternitatis coëxistentiâ ad differentias temporis habendum. Iam, quomodo *differentiæ temporum æternitati coëxistunt, ita & inter se coëxistunt. At isti coexistunt non simul & semel, ut una sit altera, sed successivè & ordine una post aliam decurrens; ita ergò & inter se coëxistent, non* completivè & perfectivè, sed transitivè & successivè. *Non hinc una fit alia: sed manendo quod est, quando transire incipit, æternitati jam existenti & permanenti, coëxistere dicitur.*

43. 9. Aristotelis *de tempore æterno est sententia, qui accuratè Platonem iam refutavit. R.* Est, *sed malè recepta & defensa. Scriptura contrà est, omnia in principio creationis cœpisse dicens.* Gen. 1. v. 1. *Nec potest Christianus salvo Christianismo gentili assurgere, ubi Scriptura est contraria. Est enim ea & principium eminens Philosophiæ, etsi non sit Philosophicum. Nec tàm authoritates, quàm rationum momenta in disputando sunt quærenda, rectè* Cicero 1. nat. deor. c. 10. *Aristotelis mentem quidam determinant,* V. th. 35. *Et ille tempus æternum sensit unà cum mundo æterno: Photiniani sine mundo æterno.* 10. Scriptura *creationem describens nusquam meminit temporis creati. E. Nec cepit illud. R. Tempus propriè non creatum, sed concreatum.* th. 38. *Inde omissum.* Nec *angelorum nec accidentium, si fortè lucem excipias, nec metallorum meminit, nec tamen ea æterna dicuntur. Eorum meminit, quæ magis aperta & sensibus obvia, ut cœlum, astra, plantæ, animalia. Tempus magis abstrusum & ab animo est, unde complementum ab eo habere dicitur.* t. 5. 13. *Plura in discursu.*

44. *Fuit* prima affectio apparens *temporis*, æternitas: *Sequitur* secunda, efficacitas, *quæ ei ab historicis, Oratoribus, Poëtis & Philologis assignatur.* Curt. l. 6. c. 3. *Tempore*

pore opus est, dum mitioribus ingeniis Barbari imbuantur, & efferatos mollior consuetudo permulceat. Fruges quoq; maturitatem statuto tempore expectant, adeò etiam illa sensus omnis expertia lege tamen suâ mitescunt. Ouid: l. 4. trist: eleg. 6.

Tempore paret equus lentis animosus habenis,
  Et placido duros accipit ore lupos.
Tempus ut extentis tumeat facit uva racemis,
  Vixq́; merum capiant grana, quod intus habent.

Idem l. 4. d. ponto.

Tabida consumit ferrum lapidemq́; vetustas,
  Nullaq́; res majus tempore robur habet.

Similia vide ap. Comitem l. 2. myth. c. 2. *Græcus Poëta ait,* καίρος πάντα φέρει: *Fert omnia tempus. Et proverbio dicitur, Annus fert rosas, non ager. Germani efferre solent:* Zeit bringt rosen. *Item:* kompt zeit/kompt rath. Sophocles in Aiace:

Ἅπανθ᾽ ὁ μακρὸς κἀναρίθμητος χρόνος
φύει τ᾽ ἄδηλα, καὶ φανέντα κρύπτεται.

Tantum valet tempus, vetustas vim hanc habet: Ignota profert, celat inde cognita. Orpheus in hymno Saturni: *Omnia qui profers, consumis & omnia rursus.* Æschylus in Epimenid:

Χρόνος καθαιρεῖ πάντα γηράσκων ὁμοῦ.

Simul senescens cuncta tempus destruit. Epigrammatũ libri l. 3.

Marmora discindit vis temporis, ac neq́; ferro
  Parcit, inhumanâ cunctaq́; falce secat.

Platonici tempus efficacissimum putabant. Simonides sapientissimum, Pythagorei stupidissimum, ap. Aristot: 4. Phy: c. 13. t. 128. Ramum l. 4. Schol. Phy: c. 13. Aristoteles c. l. *potius corruptionis quàm generationis causam esse ait.* Abstractè, præcisè, solitariè, & per se *sumpti temporis nulla est efficacitas, nec generat aliquid, nec corrumpit, est enim numeratus motus, qui ad quantitatem reducitur, cujus abstractè sumpta nulla est efficacia:* Concretè, connexè, cum rebus

 coniun-

coniunctè *sumpti vis aliqua ejus esse potest, quâ nempe ipsæ res tempore ut circumstante aliquo, vertuntur, oriuntur, occidunt. Ita tempore senescimus, ditescimus, vilescimus: fruges maturescunt, putrescunt, gignuntur, corrumpuntur: Acta statuuntur, destruuntur, &c.* Tertia affectio apparens *est* divinitas, *quam tempori quidam Gentilium tribuerunt, illudq́ Saturnum dixerunt.* Sophocles in Electra: χρόνος γὰρ εὐμαρὴς θεός. *Deus profectò tempus est facilimus. Fictus est* filios *devorare, quod omnia quæ tempore oriantur, etiam eodem intereant.* Saxum *vomuisse & devorasse, quod alia in locum intereuntium sufficiat, & tandem destruat.* Falcem *tenere dixerunt, quòd omnia velut falce demetat & consumat. Et quæ similia de tempore finxerunt Gentiles, quæ persequitur* Comes l. 2. myth. c. 2. *Superstitiosè & contra rationem. Nam quod esse imperfectissimum habet, perpetuo motu & fluxu consistit, nunquam totum simùl est, Deus esse non potest, qui totus perfectissimus, permanens, indivisibilis & immutabilis est.* V. th. 36. *Et hæc de tempore sufficiant.*

Auctariorum vice.

TEmpus *mundi conditi qualenam fuerit,* apud doctiores quæsiti esse solet. *Triplex* est membrum quæsiti: *Quale* tempus trium primorum dierum ante condita astra fuerit? *Quale* post ea creata & perfecto iam mundo ex partibus anni fuerit? *Quale* tempus 6. dierum creationis fuerit, an verè successivum, an imaginariè tantùm? *Quà primum,* Frustra id quæritur, an ver, autumnus, aut simile tempus tùm fuerit. Tempus enim est mensura durationis Physicæ ex motu astrorum primariò numeratæ. *th. 14. 15.* Quia nec astra, nec eorum motus primis tribus diebus fuit, nec tempus propriè dictum illud fuit, sed durati-

ratio aliqua, & tempus extraordinarium, *th. 27.* quod quibusdam tempus Physicum & absolutum; istud ex cœlo numeratum Mathematicum & respectivum vocari video. *D. A. d. cre.* §. *2. Latè* ita dici possit: *Rigidè* nec tempus Physicum nec Mathematicum, sed prorsus extraordinarium, & duratio rebus concreata fuit, quæ tempori æquipollere possit, ubi temporis causæ in actu sunt positæ. Hinc luminaria cœli signa & tempora dare dicuntur. *Gen. 1. v. 14.* Ante illorum ergò exortum frustra tempora quæruntur. *Quà secundum, tres* præcipuæ sunt sententiæ. *Quidam* vernum tempus mundo absoluto tribuunt, *ut Scaliger, Lombardus, Zanchius, Virgilius, Goclenius, Casmannus, KecKermannus, Alstedius, MendoZa, Pererius,* qui allegat *Eusebium, Athanasium, Cyrillum, Damascenum, Rabanum, Bedam, Ambrosium,* & alios pro hac sententiâ. *Quidam* æstivum, ut *Græci* ap. *Bodinum l. 4. d. Rep: c. 2. p. 523. Ger. Mercator init. Chron:* Julium *Maternum* in eo secutus ap: eundem *c. l. p. 522. Quidam* autumnale, ut *ex* Judæis *EleaZar, Abrah. Esra, R. Ionathan, Chaldæus Interpres, Iosephus:* Ex veteribus *Ægyptij, Chaldæi, Indi, Asiatici, prisci Romani:* Ex *Christianis Lyranus, Tostatus, Hieronymus:* Ex *neotericis Picus Mirandulanus, Ios. Scaliger, Calvisius, Bodinus, Timplerus, &* nostrorum Theoligorum pleriq;, Quorum sententiæ ut probabiliori accedemus. *Quà tertium, Philo Iudæus, Procopius, Cajetanus, Augustinus, Canus, GaZa,* & ex recentioribus quidam 6. dies creationis momentum reverâ fuisse putant, & 6. dies dici vel allegoricè, vel respectu nostri concipiendi modi. Eò etiam inclinare dicitur *Thomas Aquinas* ap: *D. Afelman: d. creat:* §: *2.* Excusatur â *Pererio l. 1. in Gen: n. 181.* Contrà *Dionys. Areopagita, Beda, Hugo, Rupertus, Lombardus, Bonaventura, Gregorius M.* aliiq; verè per successionem

nem 6. dierum mundum à Deo plenè perfectúm aiunt, &si quà potestatem absolutam omnia in momento efficere potuerit. Quæ sententia & distinctæ historicæq; Mosis narrationi, & rudis populi, cui historia creationis est scripta, cognitioni, & rerum successivæ consecutioni ac exornationi, & à Mose allegatæ de colendo die Sabbathi rationi *Exod. 20. v. 11. c. 31. v. 15.* est convenientior, ideoq; à nobis priore iudicatur probabilior.

Datum fuit aliquando tempus, ubi nec verum tempus fuit, nec motum aliquem secundum prius aut posterius succedentem numerare potuimus.

Sol facit tempus & non facit.

Tempus fuit ante tempus, & abolito tempore erit tempus.

Scriptura *in rebus fidei & morum* satis est perspicua, ut à quovis attentè legente & sensum verborum percipiente sufficienter intelligi possit, quid velit. Quod de ratione cuiusq; signi est, potentiæ cognoscenti intelligentiam signati sufficienter offerre.

Eadem & est signum obiectivè indicans, & medium subordinativè præbens, & instrumentum effectivè movens.

Quid habendum *de hoc Syllogismo*: Quisquis Scripturam dicit obscuram in rebus fidei, falsum dicit, ex nostrâ mente. Quisquis Scripturam dicit obscuram, dicit eam verbum Dei. E. Quisquis Scripturam dicit verbum Dei, falsum dicit. Postulanti in discursu exponetur.

